

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Architophel.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

ACHITOPHEL. 2 Reg. 17.

ARGVMENTVM.

Achitophel Absalomo prudens, sed impium consilium dat, de opprimendo Absalomi patre Davide. Verum Chusæus Davidi bene volens, altero consilio illud reddit irritum.

*Achitophel, Absalomus, Chusæus.*

**A**bsalome, censeo, ut ego nunc, lectis duodecim hominum millibus, Davidem hac nocte persequar: eumque perterritum & fatigatum defessumque, omnibus, qui cum eo sunt, fuga dilapsis, solum interficiam: deinde cæteros omnes ad te sic reducam, ut sponsa deduci solet ad sponsum. Ita fiet, ut cum tu unius mortem expetas, cæterorum omnium saluti consultum sit. *A.* Perplacet quidem tuum consilium: sed vocetur huc etiam Chusæus Archita, ut audiamus, quid ipse quoque dicat. Chusæe, suadet Achitophel, ut Regem hac nocte invadamus: territumque & a suis destitutum, salvis reliquis, opprimamus. Tu quid censes? sequemurne ejus consilium, an non sequemur? *C.* Achitophelis consilium, hominis alioquin prudentis, hac quidem in re non probor.

a) Tu scis, ut pater tuus, & qui eum comitantur, homines sint strenui, & ursa agresti pullis orbata ferociores. Præterea pater tuus vir rei militaris scientissimus, non est cum reliqua turba per noctem

a) Qui alterum scientes fallunt, argumentis utuntur probabilibus.

ctem acturus. Nunc latet in aliquo antro, aut alio loco. Quod si quis principio de tuis ceciderit, & rumor sparsus fuerit factam esse eadem Absalomorum, illi ipsi, qui nunc sunt leonibus animosiores, exanimabantur. Sciunt enim universi Israelitæ, patrem tuum virum esse fortissimum, nec non ejus milites. Verum meum consilium est, ut conveniant ad te omnes Israelitæ a Danc ad Bersebam, qui futuri sunt arena numerosiores, utque tu ipse inter eos præsens incedas. Tum eum adorti, ubi ubi erit, rore densius invademus, ut neque ipse, neque ejus comitum vel unus evadat. Quod si se in aliquod oppidum receperit, id oppidum universi vel funibus cinctum in flumen ita everriculabimus, ut ne calculus quidem relictus fiat. *A.* Melius est illud consilium, quam Achitophelis: obtemperabitur tibi:

## SENTENTIA.

*Impiorum prudentia bonis perniciosa est, piorum salutaris. Impiis favere & consulere contra pios, impium est. Rursus impios ad piorum salutem detipere, pium est, & ipsis etiam impiis utile. Minus enim graves pœnas Deo dabunt, si pios non occiderint.*

ABSALOMVS. 2 Reg. 18. 19.

## ARGVMENTVM.

Absalomus, e prælio elapsus de quercu crinibus pendens, a Joabo necatur. Hujus audita nece David sese afflicat & a Joabo propterea objurgatur.

H 2

Miles